



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens primos 25. Psalmos

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, [1761]**

**VD18 15558428-001**

Psalmus XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



per in Deo spem posuit. Videtur enim stultum consilium hominibus huius Mundi, sperare in Deo, qui non videtur, & non sperare in divitiis, & aliis rebus, quæ videntur.

✽. II. *Quis dabit ex Sion salutare Israhel? cum auerterit Dominus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, & letabitur Israhel.*

Orat jam Deum pro celeri adventu Salvatoris, qui liberet genus humanum à captivitate Diabolicâ, in quâ erant omnes illi excæcati, quorum tenebras, & malitiam descripsit. Utinam citò veniat de stirpe David Salvator Israhelis! Si hic Mundum liberaverit à captivitate Dæmonis, tunc verè, & perfectè exultabit, & letabitur populus Dei, qui spiritualiter dicitur *Jacob & Israhel.*

## PSALMUS XIV.

**T**itulus: *In finem, Psalmus David.*

Argumentum est *scientia salutis, & via ad vitam eternam.*

✽. I. *Domine quis habitabit in taber-*

*bernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?*

Quærit, quis stabili mansione potiturus sit in tabernaculo cælesti, aut requieturus in vertice montis altissimi, in quo finitur omnis labor ascensionis, cum supra illum nihil sit. Hic enim in terris nec stabilis mansio, nec vera quies esse potest.

*✱. 2. Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.*

Hæc est compendiosa, & summaria responsio: qui vivit sine culpa lethali: veniale enim peccatum non proprie relinquit maculam. Dein qui facit omnia, ad quæ tenetur, non timore pœnæ, sed amore justitiæ.

*✱. 3. Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.*

Hæc responsio est magis particularis: ille habitat &c., qui neque corde, neque ore, neque opere malum operatur: *Qui loquitur &c.* Qui res temporales pluris æstimat, quam valeant, & quicumque peccat, non loquitur verum,



sed falsum in corde suo, quia iudicat expedire sibi, quod revera non expedit. Ità omnia peccata cordis reduci possunt, tanquam ad radicem, ad falsum iudicium. De ore dicit: *qui non egit &c.* Ad dolum revocari possunt detractiones, adulationes, & alia peccata linguae. De opere dicit in sequenti *v.*

*\*. 4. Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximos suos.*

*\*. 5. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificavit.*

Non solum non fecit ipse malum, sed nec permisit, quantum in se fuit, ut alii malum facerent; ideo non admisit ad aures suas vituperationes, detractiones, suffurationes, calumnias contra proximos; imò malignos contempsit, & pro nihilo duxit; contra viros bonos, qui Deum timent, glorificavit, juvit &c. Magna laus, non solum in se, sed & in aliis odifse peccatum.

*\*. 6. Qui jurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit*

dit

*dit ad usuram, & munera super innocentem non accepit.*

Exposuit in genere virtutes viri probi; nunc in particulari attingit vitium unum, quo carere debet futurus Cæli hæres, nempe avaritiam, utpote quæ est radix malorum omnium. Avaritia locum habet vel in fraudibus, quæ committuntur in contractibus licitis: *Qui iurat proximo &c.*; dein in contractibus genere suo illicitis: *Qui pecuniam &c.*; vel in muneribus: *& munera super innocentem, hæc ad eum opprimendum, non accepit.* Errant aperte Judæi, qui usuram licitam existimant.

*Qui quisceit hæc, non movebitur in æternum.*

*Non movebitur, habitabit securus in tabernaculo Dei, ac requiescet in monte sancto, ejus sine ullo timore cadendi à tam felici loco.*

## PSALMUS XV.

**T**itulus: *Tituli inscriptio ipsi Davidi. Titulus, & Psalmus obscurissimus est. ex græco videtur sensus esse, Titulus*